

## CAPUT SEXTUM

In quo omnis religio bona esse ostenditur, cum nulla sit quae a politicā ortum non habeat et ab hominibus instituta sit<sup>a</sup>, non vero a deo data, ut vulgo persuasum est.

Multi cum animadverterent vera esse ea<sup>b</sup> omnia quae contra religiones omnes toto hoc tractatu declaravimus, illas prorsus quasi inanes vanasque superstitiones sustulerunt. Et Epicurus primus esse existimatur, qui hominum animos religionis vinculis exsolverit:

Humana ante oculos foede cum vita iaceret  
in terris oppressa gravi sub religione  
quae caput a coeli regionibus ostendebat |  
horribili super aspectu mortalibus instans,  
primum Graius homo mortales tollere contra:  
est oculos ausus, primusque obsistere contra:  
quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti  
murmure compressit coelum, sed eo magis acrem  
virtutem inritat animi, confringere ut arcta  
naturae primus portarum claustra cupiret [Lucret. lib. 1<sup>o</sup>] <sup>c</sup>1.

394

Alii religionum commenta multam utilitatem reipublicae afferre<sup>d</sup> perspicentes, tamquam quae tanti essent<sup>e</sup> ponderis atque momenti ad plebem in officio deorum metu continendam, ut societatis vinculum principatusque potissimum fundamentum esse videretur, omnēm religionem admiserunt, nullamque non optimam esse<sup>f</sup> arbitrati sunt; aliam autem aliâ praestantiorem fingere, delirare est. Quodnam enim nœculiare argumentum erit, quo melior et verior religio dignosci possit? Nullum profecto, quod sit tale, imaginari umquam poterit. [...]

<sup>a</sup> instituta sit] inv. P L.

<sup>b</sup> ea] om. P L.

<sup>c</sup> om. notam L.

<sup>d</sup> afferre] om. P L.

<sup>e</sup> essent] esset P L.

<sup>f</sup> non optimam esse] esse non optimam L.

aliquibus templis pia, eadem in aliis impia videbantur: exempli gratiâ, Serapidi nemo umquam porcum immolaverit<sup>u</sup>, at Herculi et Aesculatio immolatur. Ovem Isidi sacrificare nefarium, at illi quae deorum mater vocatur et aliis diis mactatur. Saturno quidam sacrificant hominem<sup>v</sup>, quod bona pars hominum impium esse censet. Felem Alexandriae sacrificant Horo et Thetidi blattam, quod apud alios nullus fecerit, unde Juvenalis:

..... Summus utrimque  
inde furor vulgo quod numina vicinorum  
odit uterque locus, cum solos credat habendos  
esse deos quos ipse colit... [Satyr. 15]<sup>6</sup>.

Ex quo manifestum est in hac religione dissidentes ab aliis opiniones alios habuisse, sectasque fuisse haud secus ac in religionibus unius dei cultricibus: neque ideo his meliorem ac veriorem dici posse, utpote variae et diversae opinione sint incertitudinis argumenta.

Adde quod unaquaeque religio alias destruere conatur, et quemadmodum unius dei cultores Ethnici diruere omnibus viribus nituntur, sic Ethnici illos destruere conantur, capitalibusque odiis sese invicem religiones omnes<sup>z</sup> prosequuntur, dum harum quaelibet veram se esse profitetur. Quod si dicat una earum, alias esse mendaciis refertas, simile statim ab unâquâque contra alias rependetur, et tot sunt accusatae quot accusantes in iis quae praedicant. Eadem autem omnes prorsus docent atque profitentur, opinionumque monstra pro veris habent, deos videlicet, daemones, animae immortalitatem, Inferos, Paradisum, praemia poenasque post mortem omnes aequi sibi persuadent. Authorem deum, providentiamque universitatis res gubernantem, profitentur illae<sup>a</sup> omnes, adeoque in his consonant ut ab uno eodemque fonte illas manasse haud difficile sit credere et cum ad comprobationem dogmatum suorum veniunt, miracula, prophetias, martyrium, plurimis item saeculis confirmatam autoritatem omnis religio iactanter se habere praedicat. Ad haec accedunt cultus divinus, magnificus, ornatus, opulentissimus, variae et sumptuosae | templorum constructiones, sacrificia innumera, religiosae caeremoniae, vota, preces, supplicationes, tam publicae quam

<sup>u</sup> immolaverit] immolavit H.

<sup>v</sup> hominem] homines H.

<sup>z</sup> religiones omnes] *inv.* P L.

<sup>a</sup> illae] *om.* L.

privatae, festi dies adeo solemnes religioseque observati, sacri magistratus et sacerdotes omnis generis, omnia denique ad cultum divinum pertinentia, quibus omnes religiones aequae fruuntur utunturque, ita ut quae melior, quaeve sit verior nullo modo diiudicari possit. Praeterea apud unamquamque multa sunt argumenta quibus sese caeteris praeferat, ut recte Cardanus [lib. 11<sup>o</sup> de subt.]<sup>7</sup> animadvertisit, et primum idolorum cultor, ait ille, his utitur ~~potissimum~~ <sup>potissimum</sup> quod pugnâ superior evaserit aduersus<sup>b</sup> Iudeos toties<sup>c</sup>, donec eam legem deleverit. Quod vero ad miracula attinet, neque in illis pauciora fuisse a diis suis manifesta auxilia, tum oracula, quam in omnibus aliis. Nec Christianorum deo ac mundi origine absurdam esse minus, imo longe magis, opinionem quam suam, quod ex contentione inter ipsas leges alias<sup>d</sup> appetat, adeoque earum in omnes philosophos velut veritatis authores. At vero hi victimas humanas obiciunt, statuarumque<sup>e</sup> mutarum venerationem, deorum multitudinem, quae etiam a suis irrideatur. Sic, illâ eversâ, Iudeus aduersus Christianos insurgit: si quae fabulae in lege nostrâ continentur, omnes ad vos transierunt, qui nostram legem<sup>f</sup> recipitis. Dei unius simplicitatem nemo adeo sincere ut nos colimus, cuius etiam initium a nobis est. Miracula et prodigia maiora quam ullâ in lege aliâ, et gentis nobilitas. Tum illi aduersus eam: non placuisse deo quidquid periit; illos in suos prophetas saevisse, abominabile semper fuisse genus eorum omnibus; illos qui a Christianis ac Mahumetanis coluntur, a lege suâ iussos adorari. Hâc explosâ, rursus Christianus aduersus<sup>g</sup> Mahumetanum disputat. Acrior autem est haec pugna quae magnis utrinque viribus innititur et ex quâ regnum et provinciarum salus pendet. Christianus quatuor maxime innititur fundamentis, prophetarum primo testimonio; deinde Christi miraculorum autoritate, quae tanta fuerunt ac talia, ut non sint Mahumetanorum prodigiis comparanda; tertia ratio a praecepsis Christi pendet, quae nihil continent a philosophiâ morali aut naturali absonum: nam illius vitam imitari quilibet potest. Quarta ratio, quod paucissimis imperitis, pauperibusque aduersus tot Caesares, ditissimosque sacrificos idolorum lex christiana promulgata sit, orbemque totum etiam haeresi-

<sup>b</sup> aduersus] apud P. L.<sup>c</sup> toties] om. L.<sup>d</sup> leges alias] inv. H.<sup>e</sup> statuarumque] statuarum W. H.<sup>f</sup> nostram legem] inv. P. L.<sup>g</sup> aduersus] in L.

bus debilitata intestinis occupaverit. Mahumetani autem<sup>h</sup> et ipsi quinque habent adversus Christianos munimenta: primum, quod Christiani non eam, quam ipsi, in deo colunt simplicitatem, filium ei dantes et ipsum deum. Si enim, inquiunt, plures dii fuerint, invicem infesti erunt, nam regni proprium quoddam est, ut a pluribus absque aemulatione administrari<sup>i</sup> non possit; impiumque dicunt deo supremo omnium conditori parem dare velle, cum sit maximus, aut filium cum nullo indigeat, sitque aeternus. Unde ob hoc, quod<sup>1</sup> Christiani illi tribuunt, coelum, inquiunt, se confudit terraque aufugit. Inducitque ob id Mahumetus deum conquerentem<sup>m</sup> Christumque se excusantem, quod non ipse sibi, sed alii sibi non volenti hoc<sup>n</sup> tribuerint. Alterum fundamentum est, et ab ipso Mahumete, quod Christicolae imagines venerentur, videanturque non dei unius sed deorum cultores. Succedit tertio argumentum ex even-  
tu, cum tot victorias iam obtinuerint, tot occupaverint provincias, ut vix<sup>o</sup> mahumetanae legis<sup>p</sup> christiana certa pars dici possit. Hem, dicunt, melius sentientibus favere verisimile est, nec cum possit tot servare minimo<sup>q</sup> auxilio, quasi aversus sponte illos perdat. Vita vero illorum atque mores mutatis vicibus, cum nos Mahumetem<sup>r</sup>, illi Christum imitari videantur, legi suae non parvam tribuit authoritatem; orant, ieunant, simplici utuntur cultu, imo simplicissimo; abstinent a caedibus, aleâ, adulteriis, ac improbis erga deum nefandisque blasphemias: quibus quatuor potissime vitiis populus christianus paene obtritus totus est<sup>s</sup>. Quid si mulierum honestatem, et templorum cultum inspicias? Denique, quod ad miracula attinet, nos recitata, ipsos praesentia habere dicunt. Alii multis diebus abstinent cibo<sup>t</sup>, alii igne uruntur, ferro secantur<sup>u</sup>, nullum doloris vestigium p[re]se ferentes; multi sunt vocem e pectore mitten-  
tes, qui olim Engastrimuthi dicebantur. Hoc autem maxime eis contin-  
git cum orgia quaedam exercent atque circumferuntur in orbem, habent et ipsi suos sanctos prodigiis eventisque praeclaros, Sedichasim ad victoriā, vanum ad pacem, Ascichum ad conciliandos coniuges<sup>v</sup>, Mirtechinum ad tuenda pecora, pro peregrinantibus Chidirellem, quem equo

<sup>h</sup> autem] *om.* P L.<sup>i</sup> administrari] gubernari L.<sup>1</sup> quod] *om.* P L.<sup>m</sup> conquerentem] conquirentem

H.

<sup>n</sup> non volenti hoc] hoc non vo-  
lenti P L.<sup>o</sup> vix] *om.* P L.<sup>p</sup> mahumetanae legis] *inv.* L.<sup>q</sup> minimo] omnino P L.<sup>r</sup> Mahumetem] Mahumetum L.<sup>s</sup> vitiis ... est] vitiis Christiani  
paenitus obtriti toti sunt L.<sup>t</sup> abstinent cibo] *inv.* P L.<sup>u</sup> secantur] caecantur L.<sup>v</sup> conciliandos coniuges] *inv.* P

L.

salutaris hostia, inquit, quae coeli pandis ostium etc. Calaber nescio quis clarâ voce erumpens, *a te sol a te peccato habiamo, il soccorso non già della creatura, ma del grand'Dio, habbia pietate Iddio di noi mortali ciechi.* At Hispanus quidam | miles ingenti fluctu madefactus deum consuetis Hispanorum contumeliis nefarie execrabatur: *In despecho* etc., quae non dicam, *no es poderia que sia comparado a el diabolo,* insani carmen illud cogitans.

404

Flectere si nequeo superos, Acherunta movebo.

Ego, inquit Octavius ipse, in ora procumbens, veniam flagitorum a summo deo precatus, votum feci, si periculis ereptus in portum incolumis evaderem, diem illum annuâ festivitate me<sup>e</sup> consecraturum. At, subiungit Octavius, omnes frusta preces fudisse visi sumus, tempestas enim non conquievit<sup>f</sup>.

— Ex quo quidem apparet, inanem esse religionem omnem vanasque et inutiles preces, ac vota quae<sup>g</sup> religiones praecipiunt. Verum cum legislatores, inquit idem Bodinus [lib. 4° de Rep. cap. 7°]<sup>11</sup>, et philosophi omnes, atque adeo Polybius ipse atheus, religionem rerum omnium publicarum firmissimum esse<sup>h</sup> fundamentum, ab eâque subditorum fidem<sup>i</sup> in principes, oboedientiam erga magistratus, pietatem in parentes<sup>j</sup>, charitatem in singulos, iustitiam in omnes pendere confiteantur, aliquam admittendam esse existimant, eamque aliquo modo necessariam esse arbitrantur; quaenam autem ex multis eligenda sit, non praecipiunt, sed indifferens illud esse aiunt, cum unaquaeque parem utilitatem reipublicae afferat.

— Quidam autem omnes promiscue religiones in republî admitti et recipi debere contendunt, nec immerito, nam in tantâ quas videmus

<sup>e</sup> me] om. P L.

<sup>f</sup> conquievit] quievit P L.

<sup>g</sup> inutiles ... quae] inutiles pre-  
ces quas L.

<sup>h</sup> firmissimum esse] inv. P L.

<sup>i</sup> subditorum fidem] inv. H.

<sup>j</sup> pietatem in parentes] in paren-  
tes pietatem L.

<sup>11</sup> J. BODIN, *De republica*, IV, vii, p. 754. Bodin, che in questa pagina sostiene la necessità di tutelare rigorosamente la religione nello Stato, prosegue poi (pp. 755 sgg.) affermando l'intrinseco valore positivo e la pari utilità delle varie religioni, che debbono essere rispettate dai governanti nel loro radicamento tradizionale. La distanza che separa la posizione del *Theop.* da quella di Bodin, con diretto riferimento però al *Colloquium heptaplomeres* (VI, pp. 353-354), è rilevata da T. Gregory in *Theophrastus redivivus* cit., p. 175, n. 184 (ma si veda anche il richiamo all'ed. lat. della *République* di p. 177-178, n. 187).

religionum multitudine, alterum fieri posse putant, ut earum nulla, alterum non posse, ut plus una vera sit. At usquequaque pontificibus omnium religionum capitali odio inter se discrepantibus, num tutius est, inquiunt, omnes admittere quam de multis unam, quae forsitan falsa sit, optare aut eam, quae forte verissima sit<sup>m</sup>, excludere velle? Sic et illos qui daemones colunt, haud secus ac eos qui deos adorant, admittendos esse existimant, nam deo nihil contrarium existere posse arbitrantur. Quin etiam daemones ministros divinae maiestatis<sup>n</sup> obsequentissimos esse affirmant. Quid autem vetat servum, non quidem ut dominum, sed ut domini legatum revereri? Quid item vetat haec duo numina, deum videlicet et daemonem, alterum quidem ne noceat, alterum ut proposit<sup>405</sup> obsecrare? Ob id enim Opuntii duos Pontifices | habuere, inquit Plutarchus [*Apoph. grae.*] <sup>12</sup>, quorum alter diis, alter daemonibus sacrificabat. Nec Romani beneficos tantum deos habuere, sed etiam eos qui nocere poterant, puta Febrim, Paventiam, Occasionem, Invidiam, ceterosque deos Averruncatores summâ veneratione prosequabantur, ut innuerent quamcumque divinitatem esse optimam, modo fides ei adhibetur; iidem etiam Romani, ut Bodinus [*lib. 4° de Rep. cap. 7°*] <sup>13</sup> refert, tametsi peregrinas religiones in republicâ non facile admitterent, ut bello<sup>o</sup> Veienti datum negotium aedilibus est, ne qui, nisi romani dii, non quo alio quam patro more colerentur, nihilominus tamen suo quemque ritu, suâ quemque religione privatim intra urbem frui facile patiebantur; atque etiam ipsi sacra Isidis et Aesculapii in urbem suam receperunt, ac Pantheon diis omnibus consecrari permiserunt. His simile quiddam egerunt Germanici Imperii Ordines: post diurna enim bella civilia<sup>p</sup>, quae aliter sedari posse non videbantur, caverunt ut romanam et saxoniam religionem mutuâ concordiâ principes tuerentur: exemplo ferme Gratiani Imperatoris, qui, ut legitur in Historiâ tripartitâ [*lib. 9°*] <sup>q</sup> <sup>14</sup>, cum Valentiniano Iuniore regno <sup>magistratus</sup> potitus, ab exilio revocatis omnibus, qui religionis causâ in exilium proiecti erant, lege sancvit ut unaquaeque religio christiana et pagana licite sacra celebraret.

<sup>m</sup> verissima sit] inv. L.<sup>n</sup> divinae maiestatis] inv. L.<sup>o</sup> ut bello] ut in bello H.<sup>p</sup> civilia] om. L.<sup>q</sup> om. notam L.<sup>12</sup> PLUTARCHUS, *Quaestiones graecae*, 6, 292 C.<sup>13</sup> J. BODIN, *De republica*, IV, vii, p. 756.<sup>14</sup> *Historia tripartita*, ex Socrate, Sozomeno et Theodoreto ab Epiphanio Scholastico translata Cassiodoroque Senatore redacta, IX, 2, in P. L. LXIX, col. 1122 b.

suâ iam aetate venerabatur, execrari coepissent et in hominum mentibus  
 deorum contemptum ingenerassent, principes ac magistratus acerbissi-  
 mis illos suppliciis insectari coeperunt, nisi Christum eiurarent. Ac Iu-  
 daei ipsi Christianorum accusatores ac delatores erant, ne eâdem impie-  
 tate obligari viderentur, suae religionis antiquitate freti, atque hinc reli-  
 gionum innumerabilis multitudo, aliis aliorum ritus execrantibus, hinc  
 rerumpublicarum quoque variae conversiones extiterunt. Sed Theodori-  
cus Imperator religionis causâ cruciari neminem passus est, ne vel im-  
 pietatis specie aliena bona diripere, vel liberas hominum voluntates,  
 quae nullis imperiis possunt, constringere velle videretur. Sic enim ad  
 senatum romanum scribens, religionem, inquit, imperare non possu-  
 mus, quia nemo cogit ut credat invitus, quae quidem ratio omnium  
 efficacissima esse videtur ad supplicia, quae religionis specie irrogan-  
 tur, tollenda; impios quidem ac peregrinos ritus quos maxima pars po-  
 tentiorum civium execratur arceri a civitate utile est ad tuendam ci-  
 vium | inter ipsos amicitiam<sup>a</sup>, quae praecipue rerum divinarum con-  
 spiratione et consensu alitur. Si tamen eadem religio populorum finiti-  
 morum ac multorum civium opinione probatur, non modo suppliciis vin-  
 dicari non debet, sed etiam providendum, quoad eius fieri poterit, ut si  
 publice citrâ seditionem non liceat, sacra tamen privata facere nemo pro-  
 hibeatur: alioqui futurum est, ut qui alienis sacrificiis interesse netas  
 esse ducunt et suis carere coguntur, omnem omnino religionis opinio-  
 nem exuant, ac sublato divini numinis metu, nec legibus humanis ullum  
 nec virtuti locum relinquant, sed omnia in omnes sibi licere putent;  
 at quemadmodum ex omni civitatum genere nullum deterius est<sup>b</sup> anar-  
 chiâ, in quâ nemo paret, nemo imperat, sed in summâ scelerum omnium  
 impunitate ac licentiâ vivitur, sic etiam nulla pestis civitati gravior po-  
 test accidere numinis carentiâ, quam Graeci ἀθεισμὸν vocant. Et super-  
 stitio quantcumque fuerit, homines tamen in legum ac magistratum  
 metu et in mutuis vitae officiis continet. Impietas autem adversus nu-  
 mina omnem ex animo peccandi metum evellit. Ideoque sapientissime  
 principes omnes fecisse manifestum est, cum plurium diversarumque re-  
 ligionum cultum populis suis concessere. Quod vero mirantur plerique,  
 quare in ipsis ecclesiae christianaæ<sup>c</sup> primordiis, tanta sectarum ac numi-  
 num, tanta<sup>d</sup> religionum multitudo, quantum Tertullianus et Epiphanius

<sup>a</sup> amicitiam] concordiam L.

<sup>b</sup> deterius est] inv. P L.

<sup>c</sup> christianaæ] romanae L.

<sup>d</sup> tanta] om. L.

ferta, sed religionis patrocinio semper inulta<sup>r</sup>. Adde quod hi omnes sibi invicem<sup>s</sup> semper detrahunt et convitiantur ob sectae praecellentiam suorumque divisorum patronorum praestantiam atque dignitatem. Nec minor est inter christianos monachos de hac re contentio, quam inter philosophos de secta, pro quâ unusquisque acerrime, vel usque ad pugnam, persaepe<sup>t</sup> contendit; omnes sanctiorem perfectioremque vitae normam profitentes, contentiones infinitas, iniurias et contumelias inter ipsos divos, quos patrones habent, excitant generantque, dum alterum alteri praeferre conantur, quod absque magnâ ipsorum divisorum iniuriâ atque contemptu fieri non potest. Ex quo quidem a deo religionem, in quâ haec perpetrantur, non proficisci manifestum est<sup>u</sup>; deus enim pacem et concordiam sectatorum suorum animis ingeneraret, tantasque dissensiones amicitiae et reciproci affectus vinculo compesceret atque contineret.

Nos ipsi non ignoramus, et uniuscuiusque conscientia sibi ipsi testis est, quod religionem sequimur, non tamquam a deo datam, sed instituentium autoritate, locorum consuetudine, usu patrio et educatione, Christianique, vel Mahumetani, vel Iudei dicimur, quemadmodum Academici, Stoici aut Peripatetici, secundum doctrinæ et<sup>v</sup> sectae genus cui a pueris addicimus; plerumque etiam metu poenarum aut praemiorum spe, quibus continemur, vel <sup>pro dolo vel timore</sup> irretimur, aliud vivendi genus, alii mores aliae legislatorum authoritates, alia educationis nostræ institutio, alii metus, aut spes aliae, credulitati nostræ aequa imponerent, et animos nostros ad se pertraherent, ut inde certum sit religionibus nos adhaerere et illarum opinione amplecti secundum quod unusquisque natus, educatus, institutus atque irretitus fuit. Et saepissime tandem, quia non audent plerique non credere, quae credunt a pueris percepta, timidi paventesque sibi a parentibus traditas servant opinione<sup>z</sup> prout pertinaciter; senes enim, pueri et mulieres quia imbecillioris sunt naturæ<sup>a</sup>, sunt etiam <sup>touzat</sup> ut plurimum magis ad conservandam religionem apti atque idonei. Cum enim religionis hic scopus sit, imperceptibilia, insensibilia et invisibilia persuadere et fide tantum ea comprehendendi posse affirmet, non dubium est quin ii qui imbecillioris sunt naturæ in obse-

412

<sup>r</sup> inulta] tuta L.<sup>s</sup> sibi invicem] inv. L.<sup>t</sup> persaepe] saepe L.<sup>u</sup> manifestum est] inv. L.<sup>v</sup> et] aut P L.<sup>z</sup> servant opinione] inv. L.<sup>a</sup> imbecillioris sunt naturæ] naturæ imbecillioris sunt L.

a deo proficiisci stultum est asseverare. Fides quam nobis tantopere commendant atque praedicant, certum argumentum est, religionis authorem deum <sup>z</sup> non esse. Haec enim circa incomprehensibilia versatur, docetque deum ipsum esse incomprehensibilem. At, si deus incomprehensibilis est <sup>a</sup>, qui fieri potest ut is dici possit alicuius rei author? Multoque minus rerum incomprehensibilium? Profecto delirat mens in hisce incomprehensilibus <sup>b</sup> et vana quaedam loquitur, cum disserit aut disputat de iis, quasi comprehendantur. Nihilque absurdius excogitari potest fide illâ, quâ figmenta incomprehensibilia comprehendi dicuntur. Valeat igitur fides, et ratio sola admittatur. Prospiciendum enim est quid philosophis, quid Epicureis, qui illam respuunt, responderi possit, ne idem illi nobis obiificant, quod olim Iulianus imperator Galilaeis: eos scilicet ad omnia | argumenta, principia et demonstrationes nihil aliud in ore habuisse, quam illud, crede, crede.

415

Cum ergo a deo religiones non dari manifestum sit ex his quae retulimus, sed ab hominibus ipsis ortum habere introductasque tantum esse ob reipublicae utilitatem, non dubium est quin vel omnes promiscue, vel plures simul, vel illarum quamlibet admitti posse fatendum sit, nullamque esse non optimam, <sup>h</sup>modo illi vulgus plaudat rectamque de eâ opinionem habeat <sup>c</sup>. Vulgi enim opinio huiusc rei summa est. Itaque si me de eligendâ religione <sup>d</sup> interrogent, responderem sequendam esse eam quae populis magis <sup>e</sup> placet. Nam, quia ad populos in officio continendos religio utilis tantum est, sedulo princeps cavere debet ne religionem ullam doceri sinat, quae populis suis <sup>f</sup> acceptissima non sit <sup>g</sup>. Huic autem omnino favere debet et quantumcumque superstitionem fovere, tamquam principatus fundamentum firmissimum. Ideoque Polybius Romanos laudat et prudenter eos fecisse <sup>h</sup>autumat, quod partem eam quae religionem et deos spectat in republicâ suâ sic conformarint et paene tragice extulerint <sup>h</sup>, ut nihil sit addere <sup>i</sup>, inquit Lipsius [lib. 1° exempl. Polit. cap. 3°] <sup>26</sup>; quod mihi <sup>i</sup> quidem videntur fecis-

<sup>z</sup> authorem deum] inv. L.

<sup>a</sup> incomprehensibilis est] inv. L.

<sup>b</sup> Profecto ... incomprehensibili-  
bus] Profecto in hisce incomprehen-  
silibus mens delirat L.

<sup>c</sup> rectamque ... habeat] om. L.

<sup>d</sup> eligendâ religione] inv. P L.

<sup>e</sup> populis magis] inv. L.

<sup>f</sup> suis] om. P L.

<sup>g</sup> acceptissima non sit] non sit  
acceptissima L.

<sup>h</sup> et paene tragice extulerint] om.  
L:

<sup>i</sup> sit addere] inv. P L.

<sup>i</sup> mihi] om. P L.

<sup>26</sup> J. LIPSIUS, *Monita et exempla politica libri duo, qui virtutes et vitia prin-*